

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Sleker Henricus Hambruggius

Exercitatio Philosophica De Philosophia Ipsa

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729133265>

Druck Freier  Zugang



F. Sloker.
R. U. phil. 1613.



q2

D. T. O. M. A.
Exercitatio Philosophica
DE PHILOSO-
PHIA IPSA.

Quam,
In Inclya Academia Rostochiensi
Tum Alexandri Aphrodisiensis; tum ex sui animi
sententia.

P U B. P R O P O N I T
M. JOHANNES SLEKERUS
Ph. P. P.

R E S P O N D E N T E
HENRICO HAMBRUGGIO
Stadensi.

Habebitur disputatio in Auditorio Meredionali.



ROSTOCHII
Typis exscrispsit Joachimus Pedanus
ANNO M. DC. XIII.



**Amplissimis, Prudentissimis, doctrinâ re-
rumq; Politicarum usq; præstantissimis
Viris,**

Dn. JOHANNI-HENRICO STAMLERO,
Patritio Augustano, & Illustr. ac generos. Principis
& Domini, Dn. ENNONIS, Comiti Frisiae
Orientalis &c. præfecto
fideliss.

Dn. NICOLAO HOPKEN, pervetusq;æ
Reipublicæ Stadensis Senatori dignissimo.

Dn. JOHANNI-PHILIPPO STAMLERO,
Patritio Augustano, Stadensis Reip. ciyi ac
Negotiatori celeberrimo.

Dn. JOHANNI JUNGEN, Notario publico,
& Judicij Superioris, quod est Rostochij.
advocato ordinario.

ET ET

Honesto & circumspetto Viro,

Dn. NICOLAO KLINDTWORT,
Civi Hamburgensi integerissimo, & cognato suo
plurimum amando.

Dnis. Mecanatibus, fautoribus, &
promotoribus meis perpetim colendis exerci-
tium hoc philosophicum offero & inscribo.

ALIAS HAMBRUGGE
Dsd.



THEISIS I.

PHilosophia nomen amabile est; (2) res vero ipsa homini salutaris (3) ad quam amplectendam ipso natura fertur instinctu (4) velut ad bonum suum (5) imò finem.

2. Recte enim Therist. proæm phys. Anima perfectio philosophia est; (ecquid autem ut corporis Medicina? ait idem ille, & multicū eo: ego ambigo) quæ dicente Hugone in Didasc: homini meritum sua dignitatis impunit; & ad propriæ nature vim puritatemq; reducit.

3. Id vero omne, cum non in qualicunq; Sciendi amore possum sit; sed in cognitionis veritate, & sancta purag; actuū cæsimonia: utiq; Pythagoras (notissimā vulgo res est) modestia rationē habuisse videbitur majorem; quā justa veraq; designationis.

4. Nimirum si minus ex philosophantium usu, quam primā (ut loquimur) vocis impositione philosophiae nomen astimandum sit.

5. Quis enim nature illo, quem diximus impulsu, non ad ipsam rem (Sophiam) sed appetitum rei (philosophiam) nos duci concesserit? Et perfectionem nostram non in unione rei, sed unionis affectu reponat?

6. Verum enim vero in vocabulorum usu faciles; de re ipsa queremus, & definitione partibusq; ejusdem. Ad quæ investiganda, facilis illa via, imò unica est, qua per vulgo nota, & ab omnibus concessa, progredimur ad secretiora: cuiusmodi ex doctrina Intellectus, habituum, Boni, toius &c hic requiri plurimas res ipsa loquitur.

7. Constat ergo, (1) perquam variam esse rerum illam notitiam, quæ in philosopho quaritur, (2) nec eam generis ejusdem (3) sed per disciplinas distinctas diffusam (4) qua vel omnes, vel maxima pars ad philosophiam proprio jure pertineat (5) in qui-

bis & ipsa philosophia sit (6) ut hac aliud esse non habeat, quam
in his disciplinis esse. (7) ut tamen philosophia una sit & non plu-
res (8) imo & unum quid, (9) cuius rationem omnem una ex-
plicet definitio.

8. Ea vero sic plena sati, perfectaq; habenda est, si ipsam
rem explicet, qualis est: cum aliud sit, definitio perfecta: &
aliud, hujus rei perfecta definitio: Plane ut materia prima per-
fecta cognitio etiam illa est, quam Aristoteles analogicam, Plato
vocat adulterinam.

9. Providentia ergo nostra sit, ipsas primum intueri partes
ex quibus philosophia coalescit: tum vero quenam unitatis illa
ratio sit, quam suo concursu absolvant: quamq; definitio (ipso
definito compar) explicare debeat.

10. Atq; hoc est quod thesis 7. jam insinuatum voluimus.
partes inquam philosophiae varias, inter se diversas, & differen-
tias oppositiis esse distinctas: quas in Logicam, Physicam, & Ethicam,
antiqui: in Pediam & propadiam Platonici: in Theoreticam
& practicam peripateticis dura dividunt: existimandi hinc ali-
qua copia est, qualenam philosophia sit Totum? & ad quam
divisionis speciem unaqueq; harum revocanda.

11. Generis quippe in species divisio non est, cum (ut bre-
viter dicam) nulla hic occurrat ratio una, qua secundum rem &
subjectis partibus praecisa, in earundem a se procreationes (Boethij
verbasci) disjungatur, & de ipsisdem pradicetur, ut animal de
homine & leone.

12. Sit enim philosophia v.g. habitus mentis, ex se hominem
ipsius perficiens qua homo est. In quo Generica hec ratio consti-
tuta; est: quam per abstractionem a partibus subjectis vel speciebus
v.g. speculativa ac practica) ubi conceptus. quero nunquid
eam vel secundum rem, aut formaliter saltem ab ipsisdem
speciebus existimes distinctam? Et quodnam accidens ex ratione
hac (in se considerata) fluat? quod attributum ex se & imme-
diata ei competit? ut neque horum indicio conceptum illum non:
ratione:

ratione tantum sed re ipsa intelligas praeclaram? quomodo haec
communis ratio ad species descendat, & se se totam illis participa-
tione communicet?

13. Et qua alia cuius ab sibi negotio occurrant, quibus ostendatur,
philosophia partibus (qua deum illa sunt) rationem unam
communem univocam, qua tanquam genere uno continetur,
nullam esse: adeoq; philosophiam secundum rem, immediate
ad subjectas partes se se diffundere, ut de Ente ipso alias ab A-
verroë existimatam est.

14. Zimara 6. Met. contrad. 5. divisionem hic Totius in
partes non esse probat eò, quod neq; Totius similaris, neq; dissimi-
laris ratio locum in ea reperiatur. Ecquid enim hic partes ejusdem
& inter se & cum Toto sunt denominationis ac natura? Annon
qualibet earum tamen denominationem Totius aliquomodo sibi
vendicat? quorum posterius Toti dissimilari repugnat; prius au-
tem similari conveniens, à philosophie partibus alienum est.

15. Verum enim vero quod de Toto sibi probandum sum-
pserat Zimara (mitto enim divisionem species in Individua; sub-
stantia in accidentia; equivoci in equivocata &c) hoc modo con-
fectum non habetur, cum alijs supersint Totius modi, Integrale
v.g. ac Potestativum: (vide Bellovi:) quorum illud in rebus
quantis locum propriè obtinens, tam à proposita questione remo-
tum est, quam ad eam prope accedit potestativi Totius ratio,
vel (si ita dicere quis velit) habitualis.

16. Philosophiam quippe cum dico, & rem ipsam in lati-
tudine sua concipio, Annon totum quoddam se se menti insinuat,
plurium habituum congerie & aggregatione conflatum? Ita est
profecto; & plane quidem ut in Justitia universali.

17. Hec enim & ipsa cum & unum quiddam ac Totum
sit, (vide Alex. 4. nat. quæ. c. 8. & 28.) ex virtutibus reliquis
(quas ambitu suo includit) conflatum; ita se ad virtutes habet,
ut philosophia ad suos habitus: qua nulli Totius generi ascribi-
tur rectius; neq; ab ullo pleniore natura sua explicationem mu-

ruatur; adminiculante praesertim Toto Integrali, quod est
notius est. Et quoad partium congeriem ordinatamq; structuram,
natura ferme ejusdem.

18. Nec desunt tamen que assertionem hanc suspectam fa-
ciant, si quis Totius potestativi, quale Bellovisio describi-
tur, rationes subducatur omnēs: Et exempla intueatur Ani-
ma ipsius; quam potentiarum suarum collectione ab Arist. de-
finitam, in schola praesertim Thomae Aquin: hoc referre ab-
surdum non est.

19. Verum enim vero quod Bellovis. inter conditiones To-
tius potestativi agnoscit, potentias à Subjecto realiter habere diver-
sas; quam id necessarium non sit, alibi disputatum est.

20. Hic illud sufficiat, Totius potestativi rationem non in
omnibus unam (anivocabi intellige) sed talem, quam dicimus
analogam.

21. Eoq; animadverso, aditus est ad solutionem objectionis
hujus, qua contra rationem Totius, philosophiam de partibus suis
pradicari, negare non ausim.

22. Quamvis de Theoretica potius & practica in univer-
sum, quam de physica vel Ethica id concesserim: ut intelligas,
non eandem prorsus in hac philosophica unitatis ac totalitatis
questione rationem esse, si hoc vel illo modo partes ejus contem-
pleris; quā nempe ut numero plures inter se tamen connexae; &
quā differentijs oppositus discriminata sunt.

23. Audiamus ergo Thomam i. p. q 77. a. 1. Totum in-
quist potestativum secundum totam suam essentiam adest singulis
suis partibus non tamen secundum totam suam virtutem. Nam
totā essentia anima conjuncta quidem est cum Intellectu &
voluntate; non tamen secundum omnem suam virtutem seu pro-
prietates. Quia ergo quodammodo convenit cum toto univer-
sali, ideo potest etiam de singulis suis partibus pradicari, non ta-
men proprietate ob id, quia totam virtutem non communicat par-
tibus suis, sicut Totum universale.

Verum

24. Verum de his accuratius differendi non hic locus est; modo sit, quod praesenti quasito, justa moderatione, (quam analogia ratio exposcit) accommodatum, rem omnem planam faciat; lucem aliquam praeferentibus exemplis alijs; Justitia praeferit universali, aut virtutis universa: cui ad complementum exercitus possunt jungi, Respublica, Mundus: Ecquid & En ipsum secundum illos qui conceptum ejus objectivum (ut formalem) unum negant?

25. Non de eo hic nimis solliciti, dum animus gestit, omnem rem certarum propositionum includere circulos, quarum prima haec: I. Omnes habitus, qui ad philosophiam pertinent, plena sui aggregatione conficiunt id, quod philosophiam dicimus: ita ut hac realiter ab illis simul sumpta non differat.

II. Initio autem habitibus superaddit philosophia, respectum quandam convenientiae ad naturam hominis qua homo vel ratione boni humani & felicitatis ejusdem.

III. Adeoque philosophia, concepium præse fert unum, formalem & objectivum; abstractum ab habitibus illis omnibus, non secundum rem tamen sed rationem: Quamobrem dici possit Methodus humana felicitatis: seu habitus mentis nostra perfectivus.

IV. Atque hanc formalem rationem cum singulis aliquomodo partibus communicet; non tamen secundum omnem virtutem. Id quod ex th. 23. deductum voluimus.

V. Ita nimirum physica, habitus est mentem nostram perficiens, non simpliciter, sed contemplatione corporis naturalis. &c.

VI. Omnis ergo habitus, homini præse conveniens ut homo; ad humanitatis (hac enim philosophia: vide Gell. l. 13. c. 15. & ex hoc ipso fundamento dijudicata) exadificationem pertinet.

VII. Et philosophia unum est, per hanc indivisionem in se; & divisionem ab alijs; Jurisprudentia inquam, medicina Logica, & omnibus, qua hanc rationem formalem non subeunt, & qua præteritum mechanica absunt longissime.

VIII. Pro natura ergo Totius potestativi; qua plena definitio

finitio philosophiae extruendas; qua divisione ex dictis planum est,
et exemplo secundum definitionis anima constat: per collectionem
in quam partium omnium, et earundem deductionem. Ut qui-
dem antiquorum; divisione non adeo reprehenda sit, nisi et par-
tes veras neglexisset et falsas admiscuisse.

X. Id vero omne ex fundamento, Boni, et speciebus ejusdem,
qui re intelligit, (alterius nempe loci est) sine negotiодijudicaverit.

X. Et quia boni hanc rationem appetibilitas sponte inse-
quistur; eadem opera constabit, philosophiam eo (quod homini ex
se conveniens et bona sit) ex se etiam appetendam; et omni utili-
tate (quamvis haec abnnde eam consequatur) natura sua esse
majorem: adeoque philosophiam apud neminem hominum peius
habitare nec ulli minus familiarem esse posse, quam qui eam utili-
tate metiatur.

26. At quid fiet ergo de receptissima Philosophia in Theore-
ticam et Practicam divisione? Nimirum hoc fiet, ut respectu,
cognoscas, (1) illam ex eodem fundamento Boni deductam, (2)
Intellectui (cujus hic bonum quaritur) Theoretico ac practico,
correspondentem, haud nudam saltim enumeratione, (3) sed oppo-
sitis insuper differentijs sic traditam, (4) ut optima et plena
merito celebretur; quamvis accurasier non possit: et in qua
manifeste appareat quod th. 22. et 23. insinuatum est, (5) phi-
losophiam ad naturam totius Universalis quodammodo acceden-
tem, (6) Generis instar habere, quo per differentias oppositas
(quod alias Toti potestativo repugnare videatur) dividi possit.

27. Generis instar, ajo: et innuo, quod non ignobiles cum
Scegkio philosophi, nec insolenti alijs in rebus loquendi consuetu-
dine ajunt, quasi generis hanc divisionem habendam; utpote
qua ad rationem Generis accedens, illam tamen perfecte non asse-
quatur: cum non designet naturam quandam a speciebus reipsa
diversam, adeoque illarum comprehensione recte definiatur; v. g.
quod sit habitus animi, naturalem hominis perfectionem,
contemplatione rerum, actionumque prudentia adimplens.

Alexan-

DISSERTATIO SECUNDA.

Alexandri Aphrod. de Philosophia; ex præfatione primi priorum
Analyt. commentatio.

THEISIS I.

Quæ studio digna sunt, ea vel ad alia quædam referuntur, quæ per se sunt expetenda; in quibus Logica est; vel in se dignitatē habent; ut philosophia.

2. Neg; enim cuiuslibet rei cognitio philosophiae nomine digna est; quippe cum melius sit nonnulla ignorare. sed philosophiae divinarum honoratarumq; rerum convenit notitia.

3. Ea autem est de ijs, quæ Natura (divina nempe ars quædam) efficit. Et θεωρία divinitatem quandam præ se fert: ut θεοί, nihil aliud, quam de divinis inspectionem & cognitionem significet.

4. Unde Theoreticam philosophiam, divinarum rerum, & earum quæ natura sunt & constant, scientiam esse asseveramus. Taliū enim cognitio, studio digna est per se.

5. Ubi autem ea, quæ considerantur, neq; ad aliqua alia referuntur, neq; in seipsis jucunditatem aliquam aut dignitatem habent; ejusmodi cognitio cum supervacanea prorsus sit, & inanis; neq; philosophia accommodata est.

6. Maxime enim convenit philosophia, ut nihil temere quemadmodum agit, ita quoq; contemplatur: Sed & actioni & contemplationi simili modo terminum habeat.

7. Nam quæ in Geometria considerantur, similia non sunt, ut isti opinantur, qui eam inutili parti Dialectice comparant.

8. Primum enim Geometria non est pars ejus, quæ propriè dicitur, philosophia, ut isti dicunt. Deinde Astrologia, quæ Geometriæ quodammodo pars est, de divinis & naturalibus substantijs contemplatur; quarum cognitio & pulchritudinem in se continet, & dignitatem.

9. Accedit, quod quam plurima sunt, quæ ex Geometria profecta, sunt ad philosophiam utilia, ob quæ non injuria ei studium impenditur.

10. Nam non de sensibilibus tantum, sed de ijs quoq; quæ sensum excidunt, & sunt intelligibilia, disputare, illud sane philosophicæ contemplationi utilissimum est, quippe cum in corporeis & intelligibiles substantiæ priores & præciosiores sensibilibus sint, circa quas contemplativus philosophus versatur.

11. Praterea Geometria de lineis & planis & solidis, à pueritia homines tractare asuefacit: & separatim de unoquoq; horum rationes docet: quorum nullum sensui expositum est

12. Posse enim inter se ratione dividere ea quæ licet substantia differant, substantia tamen & existentia esse separata à se mutuo non possunt, ad philosophicam contemplationem perquam necessarium est.

B

Principia

13. Principia eorum, quæ natura constant, nempe materia & forma; etiæ subsistentia inter se nequeunt separari, neq; alterum absq; altero esse possit; eo tamen modo secernuntur.

14. Quin & Intelligibilium differentias, & numerum generum, quibus omnia quæ sunt, subjiciuntur, hoc modo facit; dum quæ confusa sunt separantur. Novem n. genera in subiecto, nempe substantia sunt: & fine eo esse non possunt.

15. Atq; ad hoc necessaria ita atq; utilis Geometria est: dum separatim de linea, quasi de natura quadam quæ per se sit: separatim de plano & solido differere asuefacit: quorum nihil absq; naturali corpore valet subsistere.

16. Ratiocinationibus præterea & demonstrationibus, ad earum quæ ab ipsa statuuntur, probationes cū utatur: asuefacit juvenes, ut in philosophia quoq; fabulosis nugis de proposita re, minime credant: sed demonstrationes requirant, & sola ea certa existiment, quæ vel ex sese nota fuerint, vel per demonstracionem confirmata.

17. Adde, quod proportionibus quoq; & convenientijs ad proprias probationes utitur Geometria, quibus multa etiam in philosophia solent demonstrari.

18. Analytica ergo, etiæ instrumentum, & non pars philosophia est, non ob id minori studio digna: quippe cum studium erga instrumenta, ex eorum dignitate judicetur, quæ per instrumenta vel sunt, vel demonstrantur. Per demonstracionem vero comprobentur, quæ in philosophia dignissima sunt.

19. Nam cum cætera omnia in philosophia quam plurimo studio digna sunt: tum ante omnia contemplatio & cognitio veritatis. Veritas enim & maxime homini propria, Et maximum bonum.

20. Est enim eam maxime homini propriam, cū eo patet, quod quemadmodum unicuique ex cæteris animalibus quoddam pro prium & naturale bonum est: alijs nempe cursus; alijs volatus &c. sic homini scientia & cognitio propria est ac naturalis.

21. Omnes enim homines natura scire appetunt, Cujus rei indicium est: quod ex sensibus eos magni faciunt, qui majoris cognitionis ipsis in causa sunt: & quod statim à pueritia audiendi studiosi & fabularum sunt.

22. Infantes enim & pueri audiendis fabulis mirum in modum vacant: quasi cognitione naturalis hominibus sit: quippe cum nihil aliud nisi cognitionem, ex fabulis percipient. Quin etiam ingeniosiores pueri illi judicantur, qui studiosiores fabulis hujusmodi audiendis sunt.

23. Ex eo quoq; propriam esse homini veritatem cognoscitur quod vera cognitione, & maxime & evidentissime homo à cæteris animalibus distat. Virtutum enim & honestarum actionum vestigia quædam in brutis quoq; animalibus invenire licet: quippe cum quædam ex ipsis fortitudinis, quædam temperantie, justitiae nonnulla habere partem quandam videantur: aliqua vero etiam prudenter, aliqua liberalia existimentur. At veritatis & contemplativi Intellectus bruta proorsus sunt experti.

Addit.

24. Additum quod maximum quoque ex humanis bonis contemplatio est. Veritas enim omnibus bonis & apud Deos & apud homines antecellit.

25. Nam si oportet de ipsis etiam quae supra nos sunt, sententiam preferre, non aliqua alia operatio Diis, nisi haec relinquenda est. Circa alias enim ex reliquis virtutibus operari eos concedendum nullo modo est: quippe cum critica affectus hujusmodi virtutes versentur, eisque moderentur & componant. Numen vero ipsum non affectibus profus careat.

26. Virtutes praeterita morales cum electione existunt. Eos enim esse habitus electivos demonstratum est. At electione est appetitus consultativus. Consilium autem de ipsis est, quae in consultationem veniunt. Consultamus autem de ipsis quae in nostra sunt potestate, & quomodo evalusas sint, incertum est.

27. At diis nihil hujusmodi consultabile est. Ergo nec consilium: neque electione, neque virtus, quae ex electione existit.

28. Tamen si diis ipsis assidua & nulla intermissione interrupta haec veritatis contemplatio est. Ut autem homo assidue ea operetur nullo pacto potest. Multi enim vita casus, quibus addicitus est, intervenire consueverunt, qui a nobilibus rebus ipsos abducant. Quatenus tamen licet ab affectibus & humanis turbarionibus, suspiciens in divina has contemplationes, quae merito beweia nuncupatur, nobilissima inspicio operatur.

29. Quando igitur hac animae facultate similes diis operationes exerceret, diis similis efficitur. Si igitur maximum homini bonum est ut Deo similis fiat, id autem ex contemplatione & cognitione veritatis comparatur: veritatis vero cognitio per demonstrationem fit: Merito Demonstrativa maximo honore & studio digna haberi debet: ac propter ipsam Ratiocinatrix Syllogistica.

Corollaria.

1. De Philosophia disputare, habitus Padia proprium est.

2. Quod si tamen ulli philosophiae parti ascribendum sit, Metaphysica utilius debetur: sed tamen ut Padia assignetur eidem.

3. Philosophia naturam, qualis hodie est, ex primo hominis statu estimare velle, cum nimis sit insolens, tum vero & ineptissimum est, si quis utilitate eandem metiri velit.

4. Recte Alex. Aphrod. Utilitatem è medio tollit, qui utile in rebus omnibus querit.

5. Egregie Amerpachus: Et si philosophia utilitas sit immensa; non tamen hoc ei proprium est & veluti finis esse utile: adde

ad eò ut qui ad utilitatem eam referat incommodè faciat, ne dicam iniquè & non cum nulla præclarissimarum artium injuria.

6. Nos multum in Ramo proficit, qui qua usu conjunctæ sunt disciplina, eas proprie ea ipsas non separatas esse putat.

7. Deus ita finis rerum omnium est, uti earundem efficiens est. Adeoq; ut ista non obstante, causas tamen proximas retinentia & fines.

8. Se hominem ignorat, vel Intellectum parum sui conscientiæ habet, & boni rationem nunquam vidit (in qua enim Ramistica philosophia parte?) qui in cognitione rerum (qua extra praxin) bonum aliquid hominis depositum ignorat.

9. Si Deo conjungi, & ad hunc, in philosophico isthac studiø omnia referre pulchrum ducas, in Theoretica sibi philosophia hasce alas esse memineris, non in Practica.

10. Neoptolemum Ennianum, qui philosophus de philosophia Theoretica differentibus opponit, abutitur & horum, & illius patientia. Paucis (inquit ille) philosophandum est. An vero tu paucis id agere potes quod neg. esse credis, neq; esse velis?

11. Bodinus in Theatro, definitionem animæ Arist. nec intelligit: nec erudite oppugnat: & multa committit absurdæ: cuiusmodi hæc: Si omnis forma ad physicam pertinet, etiam anima, & multo quidem magis, humana. Animæ definitio omnibus obscura est, quia quod non est per se, definiri nequit. Animæ non est actus. Est anima causa intrinseca movendi corporis, sed non principium: hoc enim debetur soli Deo. &c.

12. In Metaphysica Arist. qui recte attendat, non ordinem tantum, sed eum etiam elegantissimum deprehenderit.

13. Entia abstracta esse principia Entis ut ens, à pluribus dicitur, à paucissimis intelligitur.

14. Esse entia abstracta. Aristoteles physicus probat accuratius, quam Metaphysicus; si modo ulla ratione Metaphysica probat.

15. Ratio formalis sub qua substantia abstracta ad Metaphysicam pertinet; etiam secundum communem sententiam, non potest esse ratio principij.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729133265/phys_0015](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729133265/phys_0015)

DFG



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729133265/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729133265/phys_0016)

DFG

24. Adde quod maximum quoq; ex humanis bonis c
itas enim omnibus bonis & apud Deos & apud homines

25. Nam si oportet de ijs etiam quæ supra nos sunt,
non aliqua alia operatio Dijs, nisi hæc relinquenda est.
reliquis virtutibus operari eos concedendum nullo modo
ea affectus hujusmodi virtutes versentur, eisq; moderantur
men vero ipsum affectibus proflus careat.

26. Virtutes præterea morales cum electione existunt
bitus electivos demonstratum est. At electio est appetitus
filium autem de ijs est, quæ in consultationem veniunt. O
ijs quæ in nostra sunt potestate, & quomodo evasura sint, i

27. At dijs nihil hujusmodi consultabile est. Ergo
electio, neq; virtus, quæ ex electione existit.

28. Tametsi dijs ipsis assidua & nulla intermissione in
contemplatio est. It autem homo assidue ea operetur nullo
enim vita casus, quibus addicetus est, intervenire consueve
ribus rebus ipsos abducant. Quatenus tamen licet ab
perturbationibus, suspiciens in divina has contemplatione,
nuncupatur, nobilissima inspiciendo operatur.

29. Quando igitur hac animæ facultate similes di
dijs similis efficitur. Si igitur maximum homini bonum e
id autem ex contemplatione & cognitione veritatis comp
cognitio per demonstrationem fit: Merito Demonstrati
studio digna haberi debet: ac propter ipsam Ratiocinatrix

Corollaria.

1. De Philosophia disputare, habites Pa
2. Quod si tamen ulli philosophia parti
Metaphysica utiq; debetur: sed tamen ut Padia

3. Philosophia naturam, qualis hodie est,
statu estimare velle, cum nimis sit insolens, tum
mum est, si quis utilitate eandem metiri velit.

4. Recte Alex. Aphrod. Utilitatem è
utile in rebus omnibus querit.

5. Egregie Amerpachius: Etsi philosop
mensa; non tamen hoc ei proprium est & vela




Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 0147